



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. VVenceslaus & Agilulphus, ob fauorem hæreticis exhibitum, occisi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

est) satisfactio pro peccato. Quemadmodum autem illa violenta mortis poena expiatio fuit peccati, ita cetera quoque poena, quae post peccatum a poenitentibus exiguntur, non sunt satisfactioes tantum coram hominibus, sed etiam coram Deo; neque solum in remedium contra futura, sed etiam in vindictam & compensationem praeteritorum exiguntur.

Post Christi tempora etiam Iosiam habuimus, vel in filio suo, ferro punitum. Nam, teste Baronio, Leo Imperator inter optimos plane fuisse Principes annumerandus, nisi suorum foribus propinquorum fuisset aspersus, eosque in aulam introduxisset. Etsi enim omni prorsus caruisset haeretica prauitatis contagio, quia tamen ipsos non cauit haeticos, quibuscum indulgentius egit, dum Basilisco Verinae coniugis germano pepercit, & Zenonem inexploratum adhuc sibi hominem haud probe de Catholica religione sentientem sibi generum & Imperij administratorem cooprauit, idcirco non solum a posteris minus laudatus est; verum etiam quia nequissimis hominibus viam strauit ad Imperium capessendum, nempe Zenoni, & Basilisco haeretico, qui post multa scelera tandem in tyrannum erupit; ideo is ipse Zeno, quem tamquam malum ouum fouit, filium eiusdem Leonis sustulit, creatusque Augustus Leoni successit; qui utique filium suum successorem & optauisset, & habuisset, in quo interempto, quis dubitet, iugulum ipsius fuisse petitum? Si enim in filio viuit pater, cur non etiam in filio occidatur?

De Wenceslao duodecimo Bohemiae rege scribit Aeneas Syluius, eum falsa politici statum ratione delusum, haeticis potestatem agendi, quae vellent, concessisse. Sed in mercedis locum, regnum illius tantis dissidijs perturbatum est, vt fuerit necessario ad arma recurrendum; sic enim se regnumque tueri conatus est. Verum ab omnibus desertus, vitam simul atque regnum amisit. Ita, quod sibi praesidium ratus est futurum, exitium fuit. Dignus est enim, quisquis DEVM, Dei que cultum deserit, vt & ipse a DEO deferatur. Quod ipsum Carolus Sigonius alio exemplo confirmat, apud quem *Agilulphus sine Gisulphus Longobardorum Dux, quod causa conseruanda pacis, in sua ditione, Catholicos & Arianos, quemque suis legibus ac ritibus viuere per-*

VI.

Baron. Tom. 6. An. 474. n. 2.

VII.

Aen. Sylu. l. 35. seqq. hist. Bohem.

Carol. Sigon. lib. 7. de regn. Ital. Genebrard. in Chron. An. 607.

B b b b

mississet

562 Cap. LI. Divini iudicij aequitas, etiam in Phoca Imperatore, misisset, cum suis praelio superatus ac casus est à Ciano Auarum rege, qui Forum Iulium vastavit; & Romildam Gisulphi coniugem, qua spem conjugij secuta urbem hosti tradiderat, probro affectam ac confupratam, palo per pudenda adacto defixit. DEVS enim, qui fidele ac sincerum obsequium sibi à Regibus exhiberi vult, Principes hoc tam acerbo Gisulphi supplicio cautiores effici voluit. Non enim sine causa per Moysen ita suos alloquitur: Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, qua ad eos pertinent, ne involuamini peccatis eorum. O misera tempora nostra! quibus inveniuntur tot homines, apud quos sacra hæc non aliter constant; pacis causa, quemque suis legibus ac ritibus viuere permittunt, & nesciunt, scriptum esse: Nolite iugum ducere cum infidelibus. *Qua enim participatio iustitia cum iniquitate? Aut qua societas luci ad tenebras? Que autem consuetudo Christi ad Belial? Aut qua pars fidei cum infidei? Quis autem consensus templo DEI cum idolis?* Templum igitur DEI prodit, qui suâ culpâ admittit, vt idolo, iuxta templum, locus detur, & cum CHRISTO Belial colatur. Quòd si igitur templum Dei quis destruat, an non dignus, vt & ipse destruat? *Si quis templum DEI violauerit, disperdet illum DEVS,* ait Apostolus.

2. Cor. 6. 14.

1. Cor. 3. 17.

VIII.

Non aliam ob causam, quàm ob iniurias in Sedem Apostolicam, successoremque Principis Apostolorum Petri illatas, etiam Bardas atque Michaël Imperatores diuinitus missam, eamque durissimam subire vindictam meruerunt. De quibus ex multis testibus historicis Græcis eorum antiquiorem Ioannem Curopalatum audiamus. *Signa, inquit, primùm Bardæ interitum portendentia hæc fuere. Crinitarum stellarum exorsus, somniorum portentosa visio. Siquidem sibi visus est in somnis iste ad magnū templum, cum Michaële Imperatore accedere, quasi panegyris celebraretur. Ut igitur eò peruenire, & intra sacrum templum processere, existimabat se videre quosdam albis vestibus indutos præeuntes, qui ipsum ducebant ad cancellos altaris, nihilq; aliud conspexit, quàm in throno Patriarchæ sedentem quemdam senem, quem Petrum esse arbitratus est Principem Apostolorum, ad cuius pedes abiecit beatum Ignatium volutabatur, malorum, que sustinuerat, ultionem requirens, illum verò vni eorum, qui adierant, gladium dedisse, dixisseq; hoc: Deo*

Baron. Tom.
10. An. Dom.
867 ex Ioan.
Curopal.

inni-